

enim nullum est medium inter ens et non ens, sive alterutrum esse oportet ; quia idem non potest simul esse, et non esse : quod nisi supponas, neque illud jure poteris affirmare. Principium autem contradictionis ex solo conceptu entis pendet.

Ad principium identitatis quod spectat, vel quod exprimitur hac formula « quod est est » accipitur ut simplex apprehensio, et sic certe praecedat principium contradictionis. Vel accipitur ut affirmatio, et proinde attenditur id quod intellectus in eo affirmando secum ipso dicit ; et sic reapse illud principium non differt a principio contradictionis. Nam cum intellectus affirmat *quod est, est*, in praedicato distinctius concepto id ponit quod subjecto non distincte exprimitur (D. LXXXVI) : h. e. affirmat id, quod est, *certo* esse, *necessario* esse ; non enim affirmat intellectus, nisi quod necessarium esse videt. Et quia necessitas objectiva est duplex, absoluta, et hypothetica, affirmat id quod est, dum est, necessario esse ; sive non posse non esse ; hoc autem est principium contradictionis. Differentia autem est in modo quo effertur : quia in priori formula minus distincte exprimitur necessitas nexus praedicati cum subjecto.

DEMONSTRATIO III. PARTIS. Ea est prima affirmatio, virtute cujus cetera affirmantur ; qua non supposita, intellectus nihil affirmare potest, atqui hujusmodi est principium contradictionis in ordine objectivo. Omnis enim affirmatio objectiva necessitatem quamdam exprimit ; quaevis vero necessitas per veritatem principii contradictionis stabilitur ; nam quaevis necessitas huc redit ut res, prout est, nequeat non esse.

Quod autem generatim de affirmationibus dicitur, dicendum quoque est de ceteris principiis, principia enim sunt objectivae expressiones alicujus veritatis necessariae et universalis pro aliquo ordine rerum, unde ipsa a principio contradictionis mutantur firmitatem, et in illud resolvi possunt, quatenus per illud declarari et vindicari possunt.

Notandum 1^o principium contradictionis non efferri necessario negative ; perinde est enim ac principium identitatis, immo propositum hac formula *impossibile est idem simul esse et non esse*, est affirmativum ; affirmatur enim modus de dicto. Spectatum vero prout est in mente est reapse affirmativum : affirmat enim mens repugnantiam inter ens, et non ens, sive impossibilitatem ut idem sit, et non sit, sive necessitatem ut non idem sit simul, et non sit.